

Continetur hoc Volumine
JURCANI LIDDELI SCOTI
Disputationes,

Theses Logicae
Propositiones Astronomicae de diebus et Annorum differentijs
De facultate Vegetante
De Philosophia ejusq. Instrumentis.
In II. Meteororum de Misi generatōe Diss. I.
In III. Meteororum de Concoctione Diss. II.
Diss. Pathologicae, I. de Morbis.

II de Caus Morbor in græ.
V.
VI.
IIII.

Diss. posterior de Praesagijs
de Peste diss. prior.
De Natura et Facultatib. medicamentorum.
De Compositione et Preparatōe medicamentorum.
De Arthritide.
De ratione Purgandi.
De Phlebotomia, Hirudinib., Scarificatione
De Febribus Natura et diss. I.
De Febris II.
De Febris III.

De Purgatione

TRACTATUS

MEDICO FUTURO

TVM MAXIME NECESSARIUS,
TVM APPRIME UTILIS:

In quo non tantum ex mente Hip. & Gal. de
dextro purgationis usu agitur; Verum etiam,
CVR PURGANTIA FAMILIAREM SIBI
HVMOREM ATTRAHANT,

Vera causa excutitur:

*Omniū insuper purgantium, tam compositorum,
quam simplicium doses usitate diligen-
ter annotantur,*

Annexo præterea Modo,

*Secundum quem, unius cuiusque purgantis compo-
siti exacta dosis, facili negotio investi-
gari vel corrigi possit.*

Autore

M. TOBIA DORNCREILIO

7glamiensi Morano.

HELMÆSTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1595.

*Ornatiss. atq; bechis. homino philippo frisco
philosophiæ et Medicinæ Candidato, amico suo
dilecto. et author.*

DE TIBIONE
TRACTATUS
MEDICORUM FVTVRO

TYM MAXIME RECESSARIVS
TYM ANTIM VITIS

In quo non tantum ex nomine sibi Gal. de
dati et per se in seipsum. Vt in etiam
CARPAGANUS FAMILIARUM SIBI
HUNGARIS VITIS

Vos cura excolunt

Quamvis in seipsum non tantum
in seipsum non tantum non tantum
in seipsum non tantum non tantum

Anno praesentis MDC.

Ita in seipsum non tantum
in seipsum non tantum non tantum

ET PULLA DORNCELLO

Itaque etiam

Exemplum: Jacobus, anno 1723

Itaque etiam non tantum
in seipsum non tantum non tantum
in seipsum non tantum non tantum





Amplissimis Viris,

ANTIQUA NOBILITATE,
PRUDENTIA, AVTHORITATE,
& eruditione præstantissimis,
D.D.D. TRIBVS SENIORIBVS,
CONSULI, IVDICI,
AC TRIPLICI ORDINI SENATORIO
inclytæ Reipub. IGLAVIENSIS
in Moravia
Dominis & Patronis suis vnicè obseruandis.



ON immeritò, Viri Amplissimi, be-
ati omnium ore prædicantur ij, quos
adeò æquus amat Iupiter, vt optimè
de se merentibus, parem referre pos-
sint gratiam. Omnium verò felicissi-
mi ij, quibus vt voluntas, ita nec deest facultas,
accepta beneficia cum fœnore reddendi. Nam
si verum est, quod Seneca, Philosophus, Poeta,
& Orator insignis de grato animo prodidit; quòd
*qui gratus futurus est, statim dum accipit, de red-
dendo cogitet:* quid quæso acerbius gratæ men-
ti accidere potest, quàm mutuis officijs non posse

A 2

certare?

certare? Verum enimuerò cùm haectenus mihi
à fortuna minus benignè prospectum esset, atq;
omninò necessitati parendum esse statuerem,
præterea ob oculos meos quotidie versaretur,
cùm A. V. prompta me meaq; studia iuuandi vo-
luntas, tùm æquissimum illud Iuris gentiũ præ-
ceptum: *redde quod debes*, & mecum diu multũq;
deliberarem, qua ratione A. V. gratum & me-
morem animum meum testificarer; tandem eò
perueni, vt, quod Fortunæ bona denegarent, id
bonis ingenioli mei compēsandum iudicarem,
& proindè tractatum, quem de vtilissima & ma-
ximè necessaria Purgationis materia, publicæ vti-
litatis conscripsi, A. V. offerrem, dedicarem &
consecrarem: Non quòd hoc leuidensi munu-
sculo, ingens debitum, quo iure naturæ, & meri-
torum ratione Patriæ sum deuinctus, persolui à
me posse putarem; sed vt interim aliquid tantũ
esset pignoris, quòd ad ipsi maiora, quæ DEVS, æ-
tas maturior, iudicium perfectius, & longior v-
sus largientur offerrem. Etenim alienissimus ab
omni Naturæ æquitate essem, nisi patriã meam
dulcissimam præ alijs Rebuspub. non amarem,
nec,


nec, quantum per me licet, iuuarem. Tantus enim omnibus ingenitus est amor patriæ, vt neminem sui obliuisci patiatur, sed mira dulcedine, quodocunq; patriæ nomen animo surrepit, omnium corda etiam ferocissima demulciat. Refert eloquentiæ Parens, virum sapientissimum Vlysses Ithacam illam, patriam suam, in asperis saxis, tanquam nidulum affixam, immortalitati anteposuisse: vt silentio præteream Q. Curtium, qui, cum terra in medio foro ingenti hiatu defecisset, responsumq; esset, non coalituram labem, nisi quispiam ex optimæ spei adolescentibus sese in hiatum deiecisset: acceptam à Patria vitam, eidem impendere non dubitauit, & conscenso equo, alacri animo & citra omnem moram in specum se præcipitauit. Cum igitur tanta fuerit omnibus seculis Patriæ dignitas, ne vnum quidem futurum spero, qui, quòd hæc meas primitias A. V. dedicauerim, sit improbaturus. Maiorem autem in modum, viri Amplissimi rogo, vt hoc munusculum, etsi non A. V. dignum, ab homine tamen V. A. addictiss. & obseruantiss. profectum, hilari fronte accipiatis, illudq; potius ex

animo offerentis, quàm ex ipsius muneris præstantia æstimetis, & à calumniosis maleuolorum & inuidorum morsibus, patrocínio & authoritate vestra vindicetis. Dabitur à me opera, quanta potest, maxima, vt A. V. gratiam meam, quam nunc animo foueo, aliquando re ipsa experiatur. Quòd reliquum est D E V M seriò precor, vt in Ecclesia vestra incorruptam veræ religionis doctrinam perpetuò conseruet, vosq; à Tyranno Turcico, infensissimo nominis diuini hoste, clementer defendat, omniaq; consilia vestra ita dirigat, vt cedant in ipsius gloriam, & Reipub. salutem. Valete Patres & columnæ Patriæ, & me meaq; studia vobis ita commendata habete, vt ego planè confido. Datæ in inclyta Academia IVLIA, quæ est Helmsteti die 18. Augusti. An. 95.

V. A.

observantiss.

*M. Tobias Dorncreilius
Iglaniensis.*


IN TRACTATVM DE PHARMACIS
ORNATISSIMI TOBIAE DORNCREILII
Philosophiæ M. Medicinæ candidati.

EPIGRAMMA.


N tua iam Medicâ, TOBIA, est falx messe repostâ,
Demete quod nimium est, non, benè quicquid
adeſt.

Pharmaca dū mittis, malè cautis ſomma remittis;
Scilicet, hic inuenis, millia multa metit.

Sis prudens, Methodiq; tenax, & ſingula ſpecta
Sobrius, hinc arti quam bona fulcra dabis.

Non natura Deusuè bonis bona quæq; negauit,
Muſa placet, placeant Pharmaca danda tuis.

Ioan. VVerner D. Reuerendiſſ. Capitul.
ac Reipub. Halberſtadienſis Medicus.


IN TRACTATVM
M. TOBIAE DORNCREILII
De Purgationibus.

Dilatatum ſatis, & verſatum eſt mente Tobia:
Ingenii ſpecimen, dum potes, ede tui.
Limitibus circumſcripſit Natura pudorem
Aequa ſuis, & habet vimq; modumq; timor.
Stigma ut proſtibus tam diuina artis inuras,
Purgandi veros & tueare modos:

Optima

Optima succincto veterum praecepta libello
 Congeris, & quae sint tuta, minusvè, doces.
 Quis Bonus hoc studium, quis doctrinae improbet usum,
 Et finem, tanta iudiciumq; rei?
 O Medicum Numen terrestre! Sed obsecro qualem?
 Qui bonus est Medicus, vir pariterq; bonus.
 Quem non artificem tantum ars, solertia tantum,
 Sed Pietas etiam sobria, casta, facit.
 Qualem Saxonice te IVLIAS educat oris
 Laetea; Sed cuinam haec educat? ane sibi?
 Hoc Superum in genibus. Sed terq; quaterq; beatam
 O gentem, talis cui sit Aristogenes!
 IGLAVIA haec audi: tali tu Cive beata es,
 IVLIAS aureolo quem fovet in gremio.
 Forsan eris multò sed cive beatior illo;
 Si tibi, non aliis, fiet ARISTOGENES.
 Muneris hoc curaq; tua est, Moravum inclita sedes:
 Qui cupit, ut fructum demetat, antè serat.
 Vera loquor: spectat tuus hoc Dorncreilius unum,
 Sit bonus ut Medicus, vir pariterq; bonus.
 Ipsius ingenium, doctrina, modestia, candor,
 Sobrietas, aliis nota, probata mihi.
 Pullus labe carens ergò omniparentis Hygeia est:
 Si sapis, hunc alis subijce fida tuis.
 Si qua patrociniore digna; industria digna est,
 Quam studiis adhibet mens generosa bonis.

Salomon Frencelius à Fridenthal,
 Acad. Juliae Professor Ethicus.

TRACTATUS.
DE PURGATIONE

Prooemium.

R

Estè Diuinus Hippocrates, primus artis medicæ parens, & omnium quotquot antè ipsum fuerunt, Medicorum facile princeps, pronunciauit: Experimentum in medicina esse periculofum. *1. aph. 11.*
Causam huius assertionis Galenus optimus Hip. interpret dicit esse materiæ dignitatem. Neq; enim, inquit, lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, coria, artis medicæ, sicut aliarum artium, sunt materia in quibus citra cuiusquam damnum quid possis multifariam experiri licet, & circa eam materiam ad theorematum meditationem & confirmationem versari. Quod in lignis fabri lignarij faciunt, in corijs coriarij. Ligna enim & corium si malè tractando deprauauerint, nullum inde cuiquam imminet periculum. In corpore autem humano ea tentare, quæ non sunt experientia comprobata, periculo non vacat: cum temerariæ experientiæ finis sit totius animantis internecio. Sed vt hoc verè de omni artis medicæ experientia dicitur: ita verissimè de purgatione. Nam si reliqua omnia prætereamus, & purgationem tantum cum Phlebotomia, quæ non minus, quam Purgatio magnum auxilium censetur, conferamus, videmus, vsu venæ sectionis longè tutiorem esse, vsu purgationis, cum hæc, dum in motu est, regi nequeat; illa vero pro arbitrio medentis optimè gubernari possit. *lib. de curand. rat. per sang. miss. cap. 11.*
Quod enim, teste Gal. semel in ventriculum assumptum est medicamentum, quò minus omne assumptum sit, fieri non

B

ri non

ri non potest, sicuti nec hoc quidem, ut ubi plus, quam
 conueniat, iam purgatur homo, pars oblatis auferatur.
 At in sanguinis missione summum id bonum est, eua-
 cuationem cum velis, posse sistere, rursusq; , quo vide-
 atur tempore, sanguinem fluentē non inhibere, quoad
 æger meliusculè habere videatur. De ingeniosissimo
 illo Auerrhoë legimus, cum animaduertisset purgatio-
 nem cum tanto periculo esse coniunctam, nec se posse
 ex animi sententia *ιδιονυχεσσίας*, id est, proprias ægro-
 rum & medicamentorum naturas assequi, quod medi-
 cinā, cuius tamē erat peritissimus, exercere nō sit auso.

*Causa im-
 pulsua hu-
 ius tracta-
 tus.*

Cum itaq; purgationi tantum subsit periculum,
 ut etiam summos in arte medica viros ab omni meden-
 di usu abstertere potuerit: operæ precium nos factu-
 ros arbitramur, si difficilimum hoc de Purgatione ar-
 gumentum, nostroq; guloso seculo cum primis necessa-
 rium, secundum mentem Hippocratis & Galeni, alio-
 rumq; optimorum authorum, nullum verborum affe-
 ctantes ornatum, omnibusq; ambagibus declinatis,
 ipsum solummodo nucleum attingētes, in theatro do-
 ctorum & rectè iudicantium virorum proposuerimus,
 idq; ita spectandum exhibuerimus, ut quilibet huius
 perfectam cognitionem, quæ omnium maximè in præ-
 cauendis & propellendis morbis requiritur, absq; mo-
 ra & tædio sibi comparare possit.

*Tractatus
 distributio.*

Melionis verò doctrinæ gratiā, hunc nostrum
 tractatum in tria capita diuidemus: quorum

Primum aget, quid, & quotuplex sit purgatio, &
 an, ut cholagogum, phlegmagogum, & melanagogum,
 sic quoq; detur hæmagogum: præcipuè verò ostendet
 modum, quo medicamenta purgantia suum peculiare
 attrahunt humorem.

Secunda

Secundum docebit, an, quid, quantum, quando, per quem locum, & quomodo purgatio instituenda & vsurpanda sit: vbi quoq; cum agetur de quantitate purgationis, doctrina de Dosi purgantium, cum simplicium, tum compositorum obiter inferetur, modusque monstrabitur, quo compositorum doses facillè inueniri aut corrigi possint.

Tertium subiunget Regimem antè, in, & post purgationem.

CAPVT PRIMVM.

Cum ex iisdem constet definitio, ex quibus essentia rei constituitur, sitq; definitio quædam cogitio: imò omnis cognitionis initium: rectè hunc tractatum nostrum ab ipsa definitione exordimur, vt, quid propriè Medicis sit Purgatio, intelligatur: præmissa tamè notatione Etymi, in quo non multa conquiremus, quæ per se patent: vt quod Purgatio à purgando, καὶ καθαίρειν dicatur: τὸ ἕϊν potius, quid reuera sit purgatio, expendemus. Ea definitur à Gal. humorum qualitate molestorum euacuatio. Non puto autem Gal. hoc loco nudam intellexisse qualitatem, quæ citra humorum excessum existat, sed quæ simul habeat materiam auctam. Nam vt nuda qualitas, sola alteratione, quæ fit per contraria, curatur: ita quæ materiæ sibi habet adiunctam abundantiam, primò purgatione, & demùm alteratione tollitur. Fit tamen nonnunquam, vt humor vnus atque alter, non tam quod abundet, quam quòd adeò putridus sit, vt nulla ratione corrigi queat, purgante medicamento euacuetur.

Educuntur verò humores molesti, vel à natura quæ sua sponte corpus à noxijs humoribus purgat: vel per

B 2

pharma-

6 Topi. ca. 2
Aristoteles
2. post ana-
ly. cap. 14

Notatio
Nominis

Purgatio
quid. 1. aph
2. 2. aph
17.

DE PURGATIONE

4

*purgatio
duplex.*

*Artificialis
purgatio
quid.*

pharmaca: Ideoq; alia purgatio spontanea seu naturalis; alia coacta seu artificialis Medicis dicitur. Nos relicta priori, de posteriori in praesentia agemus. Definatur autem artificialis Purgatio, quod sit unius plurimumè noxiorum humorum per pharmaca euacuatio.

Et quoniam magna est partium corporis humani varietas, nec vnaquæq; quouis humore nutritur, natura prouida non tantum quadruplices humores, ex quibus quælibet corporis particula proprium sumeret nutrimentum, produxit: Sed etiam instructissimo medicamentorum penu genus humanum donauit, vt per illa humores, qui à genuina natura declinârunt, nec ad eam, vel optima victus ratione, vel medicamentorum alteratione, vel naturæ calorisq; natini beneficio reuocari possunt, adeoq; prorsus ad nutritionem inepti sunt, è corpore artificiosè eijciantur. Bilem igitur flauam, vel pituitam, vel melancholiam purgaturus, plurima inueniet pharmaca, intentioni ipsius omni ex parte satisfactura. Summi etenim viri, & superioris & nostri seculi, longo vsu, & indefessa solertia, subinde non tantum purgantia inuenerunt, sed etiam accuratè, quem singula humorem trahant, quaq; id faciant lenitate aut vehementia, annotarunt. Et licet cholagoga, phlegmagoga & melanagoga reperiantur in magna copia: nullum tamen medicamentum facultatem habet primò & per se hæmagogam. Natura enim sanguinem, vt eximium vitæ thesaurum trahi minimè permittit, nisi vehementiori medicamento coacta. Ipse etiam Gal. medicinam sanguinis eductiuam reperiri negat, & si reperitur, medicus, inquit, cauti non debet. Non enim euacuat sanguinem, nisi ob pes-

*Non dari
hæmagogū.*

*lib. de purg
facul. ca. 6.*

ob pessima, quæ inducit accidentia, excoriando scilicet venas, & earum admodum aperiendo orificia: & ibidem dicit: sanguinem per aluum euacuare non esse purgare homines, sed iugulare: & medicamenta, quæ per venas intestinorum & ventris sanguinem deijciunt, venenis annumeranda esse asserit. Nec video cur sanguis, quatenus quidem sanguis, purgatione indigeat. Nam si verum est, quod purgatio solam respiciat cacochymiam, & sanguis nunquam qualitate, sed duntaxat quantitate peccet, qua quæso de causa eum per aluum educes? præsertim cum tutius euacuari possit, per phlebotomiam & scarificationem, legitimas illas puræ plethoræ educationes. Et quanquam non eo inficias, quandoq; in corpore nostro sanguinem corrumpi; tamen illud quoque cum Gal. asseuero, quod sanguis corruptus & putridus sanguis esse desierit, & portione tenui in flauam bilem abierit, crassa in atram, quas medicamento cholagogo & melanagogo purgamus.

Perficitur autem purgatio cum expultrice partium vi, tum attractrice medicamentorum facultate, quam natura non omnibus, sed tantum electiuè purgantibus indidit.

De expultrice partium vi omnes consentiunt: Attractrix vero in electiuè purgantibus (nam de alijs medicamentis, quæ solum leniendo & laxando purgât, hic nobis sermo non est) à quonam principio oriatur, maximè inter Medicos controuertitur. Quidam enim cum deprehendissent, Solem satis euidenter ex aquis & terra, folius caloris beneficio ingentem exhalationum copiam attrahere, & calorem membris nostris,

lib. 2. de
diff. febr.
cap. 2.

purgationē
& ab expultrice, et
attractrice
& perfici.

1. opinio de
attractrice
purganti-
um facultate.

DE PURGATIONE

per ignem, per frictionem, vel per alium quemcunque modum introductum, promptè cum spiritus, tum humores allicere, ipsaq; medicamenta, quo maiori polent calefaciendi vi, eò quoq; purgare vehementius: statim concludunt, hanc quoq; vim attracticem, quæ in electiuè purgâtibus reperitur, soli calori esse ascribendam. Verum fallunt, boni viri, & falluntur. Nam lógè alia est in ijs, quæ illi afferunt, attractionis ratio, quàm in purgantibus: quippe Sol ex quarunq; humida materia, sine discrimine, caloris vi, educit vapores: membraq; calefacta quo suis attrahunt humores: purgantia vero, non nisi cum delectu humorem sibi familiarem alliciunt, adeò vt pro diuersa purgâtium natura, modò succus melancholicus omnium crassissimus, modò pituita primò eijciatur, bile, quæ inter humores reliquos est tenuissima, relicta. Nec ratio dari potest, quí fiat, si calor esset totalis attractionis causa, quod non omnia medicamenta quæ eundem, vel etiam maiorem obtinent caliditatis gradum, illam purgandi, quæ fit per attractionem, facultatem habeant. Fatemur quidem, quod calor purgantium, non exiguam in aperiendis venarum osculis, & in irritanda earum facultate expultrice, vim naturâ consecutus sit, vniuersumq; purgantium genua calidum sit: verum quod ad hoc attractionis op^o sufficiat, pernegamus. Est enim alia causa, quæ calore multo est nobilior, eoq; tanquã proprio instrumêto, cum familiarè sibi humorè attrahit, vtitur.

*Gal. 1. aph.
24. & lib.
5. facul.
med. ca. 16.*

*11. Opinio
de attractrice phar
mact.*

Quidam purgantium saporibus & modo substantiæ omnem attractionis vim assignare conâtur. Omnia enim, inquit, purgantia, quò acriora & tenuiora fuerint, eò quoq; humores crassiores, & in partibus re-

motio-

motioribus existentes euacuant. Ideoq; pharmaca minus acria, & amaritudine ferè carentia bilem duntaxat flauam attrahunt: his acriora & tenuiora promptè eliciunt pituitam: Succum vero melancholicum, non nisi illa, quæ cum vehementi acredine insignem amaritudinem obtinent. Hanc opinionem futilem esse, multa haud eget demonstratione: nominè enim fugere posse arbitror, qui mediocriter saltem in re medica sit versatus, quod nequaquã omnia medicamenta λεπτόμερα, & acerrimi vehementerq; amari saporis purgēt humores nostros, nec quod omnia, quæ euacuant, sint tenuia, acria, & amara. Et aloë purgantiū amarissima minimè (quod ex illorū opinione sequeretur) melancholiam purgat, sed bilem tantum, & quidem vix ex prima regione. Ita lapis armenus, & stellatus seu cyaneus, cum penè insipidi sint, præsertim si terantur & eluantur, iuxta eorum mentem attraherent bilem flauam: cum tamen doceat vsus, hæc medicamenta bilem atram, & phlegma, adeoque ex ipso corporis habitu euacuare.

impugnatur secunda opinio

Cum autem vnius rei vnica tantum sit causa, quæ dicatur causa propter quam res est: dicimus cum Hip. & Gal. quod attractio humoris per medicamentum fiat, ob solam similitudinem quæ consistit in tota substantia medicamenti & humoris.

Arist. post. analyt. ca. 1. § 25.

Vera sententia de attractrice

purgantis facultate.

Mesue opinio.

Diuus Mesues, initio canonum vniuersalium theoremate primo, medicamentū purgans, non à temperamento, nec vt contrariū in contrariū, nec vt simile trahens & euellēs alterum, sed quia talem, hoc est, purgandi facultatem, cœlitus sit sortitum purgandi vim habere, humoresq; certos attrahere dicit. Quòd omnis inquit res (vt philosophi produnt) duplici sit dotata & prædita facultate, elemētari quidē vna, qua calefacit, & refri-

refri-

DE PURGATIONE

8
 >> refrigerat, humectat, & siccatur, non autem purgat: al-
 >> tera vero cœlesti eaq; vel communi, vel sibi propria,
 >> ac temperiem illam dirigente, & qua medicamentum,
 >> hoc est purgans illud, hanc vel illam euacuationem
 >> prouocat, aliud aliam atque aliam habet virtutem.
 >> Quæ omnia potest medicamentum cœlesti virtute ad
 >> temperaturam accedente. Rebus namque omnibus, vt
 >> ait Plato, proprietates quasdam indidit, quibus hæ
 >> ipsæ, quod sibi est proprium, agunt: idque pro formæ
 >> natura, & motione insita, cum nullius rei actio propria
 >> esse possit vlla, nisi quam forma ipsa excitat & dirigit.

*D. Mesue
 cum Gal.
 conciliatio.*

*4 de gener.
 animal. ca.
 ultimo.*

Hanc Mesuæ opinionem (saluis tamen aliorum
 iudicijs) cum Gal. sententia posse conciliari censemus.
 Mesues enim causam attractionis remotam; Gal. verò
 proximam afferre videtur. Nam, vt docetur in prædi-
 cabilibus Porphyrianis, propria oriuntur à formis
 substantialibus: ad harum autem productionem (lo-
 quor iam de formis misti, non verò de anima) elemen-
 torum quidem formæ quasi materiam præbent, cœlum
 autem vice causæ efficientis fungitur. Teste enim Phi-
 losopho, ad omnes generationes & perfectiones astra
 concurrunt, & ex ipsorum motu, terminus durationis
 cuiusque rei pendet. Cum itaque in productione for-
 marum mistorum corporum astra maximam & præstā-
 tissimam vim obtineant, adeoq; vt Diuinus Plato cœ-
 lum mundi animam, Chaldei datorem formarum, &
 Aristoteles vniuersam naturam dixerint, non immeri-
 tò Mesues omnem purgandi vim facultati, quam pur-
 gantia cœlitus sortita sunt, ascribit. Verum Gal. ani-
 maduertens, istam purgandi *ἐνέργειαν* & proprietatem
 trahendi humorem determinatum, nequaquam im-
 mediatè

mediatè ab astris produci, sed interueniente forma misti, voluit potius proximā causam, quam remotam, & ad scientias comparandas minus accommodatam assignare, & non, vt Mesues, cœlestem virtutem, sed modò proprietatem, modò similitudinem totius substantiæ nuncupare.

Est autem hoc loco tota substantia nihil aliud, *tota substātia quid.* quam ipsa purgantium forma specifica. Hæc enim est perfectio & integritas, qua purgantia consistunt, estq; causa omnium priorum per quæ vnumquodque pharmacum, sibi familiarem attrahit humorem.

Similitudinem substantiæ minus rectè Vallesius, Medicus eximius, in suis contro. lib. 9. cap. 1. affirmat consistere, in medicamentorum colore, crassitie, tenuitate, & eiusmodi qualitatibus, quæ videntur, vt ipse loquitur, esse magis ex parte materiæ. Nam absurdum est, nobilissimas hæc actiones, materiæ ascribere, quæ principium est omnis passionis, nec vllam habet vim agendi: vt taceam modò, quòd Scammonium non flauum cumbile, sed cinericeum colorem obtineat: quòd Agaricus pituitam educat, quæ ipsum crassitie & visciditate multum superat: quòd albumen oui, quod æquè, ac pituita, viscidum & crassum est, non purget phlegma. Quare nequaquam hæc similitudo, aut in colore, aut in vlla alia qualitate sensui patente, quærenda est: sed necesse est eam ex intimis naturalis scientiæ penetralibus paulo acuratius eruere.

Ex physicis enim discimus, principia formarum misti esse Elementa & sidera: cum autem elementorū formæ parte sui quadam sibi sint affines & cognatæ, parte vero aliqua contrariæ: astra etiam quædam affe-

C

ctioni-

Similitudine in medicamenti & humoris formis, & non in accidentibus consistere.

Aristoteles lib. de gen. & cor. tex.

55.

tionibus, & natura conueniant, quædam contraria
sint, vt quotidiana docet & clamitat experientia: mi-
rum non est quædam mistorum formas inter se con-
sentientes etiam hinc oriri, quædam dissentientes, &
aliâs magis, aliâs minus. Nam licet forma formæ con-
traria non sit, nisi per accidentia, per quæ illæ agunt
contrariæ tamen censentur formæ, ratione potestatis
contrariæ. Prout ergo mistorum formæ se habent,
ita etiam diuersa de se generant propria, cognatæ qui-
dem similitudinem & *συμπαρίσταται*, contrariæ verò dissi-
militudinem & *ἀντιπαρίσταται*. Hæc igitur similitudo à
formis medicamento & humoris procedens, est causa
aptitudinis, ob quam medicamentum agat, & humor
patiatur, illudq; sibi familiarem succum attrahat, hic
vero trahenti pharmaco facilè cedat. Quodlibet enim
non agit in quodlibet.

Quemadmodum autem ratio humana non progre-
ditur eò vsq; vt ipfas formas intueri possit: ita quoq;
formarum accidentia propria penitus perscrutari im-
possibile est, nec alia datur illorum, nisi quæ fit à poste-
riori cognitio. Quocirca rectè similitudo ista cæca,
abdita, & occulta dicitur, & omninò laterem lauant
illi, qui eam ad sensum demonstrare conantur. Ipse
quidem Gal. videtur sensisse hanc similitudinem ex
medicamenti colore, quo illud cum humore purgando
conuenit, esse depromendam: cum expressè dicat:
Cnicum colore esse pituitæ similem. Verùm longè a-
lia fuit Gal. sententia. Nam licet ibi colligat ex colore
illam similitudinem, tamen hoc tantum fit probabili-
ter, non verò demonstratiuè. Si enim vllò modo hæc
similitudo inuestigari potest, certè per solam fiet ex-
perien-

*Similitudo
occulta.*

Dubium.

*lib. 3. de
med. fac.
cap. 24. So-
lucio dubij.*

perientiam. Ideoq; alibi Gal. veteres repræhendit, quod in venandis medicamentorum facultatibus, acquieverint in rationibus probabilibus, quæ ex colore, sapore, & consistentia sumuntur, & omiserint demonstratiuas, quas experientia suppeditat.

Educit autem medicamentum purgans, non ut voluit *a* Erasistratus, omnes æqualiter humores, primò alliciendo tenuiores, quos subinde sequuntur ratione vacui mediocres, vltimo loco, si scilicet pharmacum fuerit robustū, crassissimi: Nec ut *b* Asclepiades opinatus est, immutat humorem, cui primò inhæret, in aliam naturam, ac illum deindè euacuat, postremò sanguinem elicit: Nec ut *c* Aristoteles sensit, eliquat omnè excrementicium humorem, & eliquatum turbat, agitat, & extra corpus trahit: *d* Sed absq; immutatione humores iam præexistentes, certos, determinatos, & specie differentes euacuat. *e* Nam medicamentum, cum corpus subierit, primū id, quod sibi omnium maxime, ex ijs, quæ in corpore sunt, cognatum est, agit: inde reliqua trahit & purgat: proinde ac stirpes & semina, vbi terram sunt ingressa, id, quod in terra inest, suæ naturæ accommodatum, singula attrahunt. Inest autem acidum, dulce, amarum, falsum, & omnimodum. Ante omnia igitur ex eo plurimum quod sibi naturali propinquitate maximè coniunctum est, alliciunt, tum cætera deinceps attrahunt. Haud secus medicamenta faciunt in corpore. Etenim quæ bilem ducunt, primum meracissimam bilem purgant, deindè mistam. Pituitæ item medicamenta: Primū meracissimam pituitam cient, postea confusam.

Et verum quidem est, quod omne exhibitū pharmacū liquidiora primò, deindè corpulenta magis semper

lib. 2. de
med. facul.
cap. 2.

Humores
quomodo a
medicame-
tis attrahū-
tur.

a opinio
Erasistrati
Gal. lib. de
purg. facul.
cap. 5.

b opinio A-
sclepiadis.
Gal. lib. de
purg. facul.
cap. 2.

c opinio A-
ristotelis 1.
sect. proble-
ma. 43.

d Vera sen-
tentia.
e Hip. lib.
de Nat. hūi-
dist. 32.

cc
cc
cc
cc
cc
cc
cc

cc
cc
cc
cc
cc
cc
cc

In omni
quidē pur-
gatione pr

*mim elici
tenuiora,
deinde cras-
siora: non
tamen di-
uerſi ſed e-
iuſdem hu-
moris.*

educat: non tamen, vt Eraſiſtratus voluit, diuerſi hu-
moris, ita vt quiſpiam primò ſeroſa & aquoſa excre-
menta, deinde bilem flauam, tertio pituitam, & tan-
dem melancholiam excernat; ſed eiſdem. Nam ſi ve-
rum eſſet, quod exhibitum pharmacum ſemper humo-
res tenuiores primò attraheret, & his eductis demum
crasſiores, ſequeretur, nunquam melancholiam poſſe
euacuari, abſq; ægri interitu. Cum enim melancholia
inter reliquos humores ſit crasſiſſima, non cedit medi-
camento trahenti, niſi prius bilis flaua, pituita, imo i-
pſe ſanguis (nam & iſ melancholia tenuior eſt) eiectus
ſit. His igitur corpori ſubtractis, quomodo vita confi-
ſtet? Quare propinatam melanagogum primò partes
tenuiores atræ bilis adoritur, poſtea verò crasſiores: &
ſi iuſta doſi fuerit exhibitum, educta melancholia, ceſ-
ſat omnis pharmaci actio. Sin iuſto maior fuerit doſis,
poſt proprij humoris euacuationem, reliquos quoque
humores purgat, à tenuiori incipiendo, donec ad cras-
ſiſſimum, ipſumq; ſanguinem, ſi adhuc vigeat vis phar-
maci, perueniat. Hanc nimiam doſin Hip. in modo ci-
tato loco reſpiciens, pharmacum primùm ſibi famili-
arem, tum cæteros deinceps humores attrahere, docet.

*Fernelius
prater pe-
culiarem,
generalem
quoque me-
dicamento
attribuit
purgandi
ſim lib 3.
meth. med.
cap. 5.
oppugna-
tur Ferne-
lij opinio.*

Fernelius, Medicus profectò excellentiſſimus,
videns pharmacum nimia quantitate aſſumptum, præ-
ter proprium, reliquos quoq; purgare ſuccos, peculi-
ari purgandi facultati, qua vnumquodq; medicamen-
tum purgans præditum eſt, generalem adiecit, qua me-
dicamentum in alios quoq; humores incumbit, eoſq;
communiter euacuat. Quod ſi concederetur, ratio da-
ri non poſſet, cur tantum in *ἰσπεραζήσας*, & non etiam
in moderata purgatione aliorum quoq;, quàm proprij hu-
mo-

humoris fiat euacuatio. Et si datur generalis purgandi facultas, habebit aut plus, aut minus roboris, quam illa peculiaris seu propria. Si plus, hoc sequeretur absurdi, quod maior semper aliorum, quam determinati humoris educeretur copia: Sin minus, citius euanesceret generalis medicamentorum vis purgandi, quam appropriata ac ita medicamentum nunquam, post proprii humoris purgationem, posset demum per generalem vim purgandi, reliquos euacuare humores.

Idcirco Galeno potius credendum est, qui omnem causam, quod in superpurgationibus humores purganti medicamento nequaquam familiares, cum determinato euacuentur, vasorum infirmitati, osculorum laxitati, & purgantis mordacitati tribuit. Cum enim vasa, inquit, non amplius in se continere succos possint, & oscula eorum reclusa fuerint, nec irritare medicamentum desinat, possitque non amplius familiarum sibi trahere succum, necesse omnino est, reliquos quoque excerni humores.

Sed instat Fernelius, hoc modo arguens: Si medicamenta purgantia educunt humores tantum proprietate totius substantiae, & quidem in certa dosi exhibitata, non autem generali quoque purgandi vi, qua in alios etiam humores, praeter sibi familiares, agunt eosque communiter purgant: qui fit, quod licet in purgantium compositione, vnumquodque eorum non in conuenienti, sed in adeo exili offeratur quantitate, vt si eadem dosi, seorsim exhiberetur, nihil purgaret: nihilominus tamen vnius cuiusque pharmaci suus sufficienter educatur humor. Nam si volumus bilem seorsim expurgare, exhibemus Rhabarbarum in conuenienti

C 3

dosi.

*Cur in superpurgationibus**cum familiaribus, alij quoque euacuentur humores.**lib. 3. de med. facult. cap. 27*

cc

cc

Instantia Fernelij.

dosi, quæ communiter est duarum drachmarum. Si vero pituitam, Agaricus in eadem dosi exhibitus idem præstabit. At si cupimus bilem & pituitam simul, & quidem vtramq; in eadem copia, euacuare, non damus Rhabar. & Agar. singuli drachmas duas, sed vniuscuiusq; vnam tantum. Et quamuis nec Rhabar. & Agar. sit eadem, quæ illis debetur, si seorsim assumerentur, dosis, tamen non minori quantitate bilis & pituita educitur, ac si seorsim bilis per Rhabar. 3 ij, & pituita per totidem Agar. drachmas purgata fuerit.

Solutio objectionis.

Hac acuta instantia, suam assertionem, de generali vi purgandi, Fernelius stabilire annixus est. Verum accurata pharmaci consideratio, aliam nobis huius rei suppeditabit causam. Sciendum itaq; quod vnumquodque medicamentum purgans, præter illam proprietatem, qua idoneum est, sibi amicum atrahere succum, habeat & stimulum quendam à temperamento prodeuntem, quo vasorum orificia aperit, eorumq; vim expultricem irritat. Illa in exiguo quanto efficax est, non aliter ac minimus magnes, potest trahere ferrum: hic verò nullam habet efficaciam, nisi in certa & determinata quantitate. Cum ergò stimuli pars, quæ ob minorem Rhabarbari quantitatem desideratur, per alteram Agarici resarciatur, & vice versa: atq; vis proprium humorem attrahendi in Rhabar. & Agar. æquè, ac si in maiori fuerint dosi exhibitum, vigeat, patet, totum hoc negotium huic stimulo potius, à calore & acredine medicamenti producto quàm generali illi purgandi vi, à Fernelio subtilissimè effectæ, tribuendum esse. Nec absurdum est, vt Fernelius putat, allium, pyrethrum, & piper habere purgandi facultatem,

rem, quanquam non talem, quali electiuè purgantia sunt nobilitata. Hæc enim & stimulando vim expultricem, & attrahendo sibi conuenientes humores purgant: illa verò postquam aperuerint, & irritauerint expultricem facultatem, totum euacuationis opus naturæ noxium humorem expellenti committunt.

Possit hoc loco inferri refutatio argumentorum Doctissimi Erasti, quæ contra tractricem medicamentorum facultatem, in quæstione secunda tractatus sui de occultis pharmacorum potestatibus, attulit: Verùm cum instituti nostri habenda sit ratio, & ne tractatus noster compendij fines excedat, sufficiat in genere quid roboris eius rationes obtineat paucis ostendere. Quæ igitur affert, de naturali seu spontanea purgatione, & de ijs, quas procreat, vel ciborum medicamentorumue solus calor & acrimonia, vel insuauis odor, vel nausea seu ingrata recordatio; nihil faciunt ad tollendam purgantium attractionem: siquidem & nos modò concessimus, eiusmodi purgationes à sola expultrice facultate perfici. Quòd verò infert, idem in ijs quoq; quæ per electiuè purgantia fiunt accidere, haud sequitur, ob ingens discrimen, quo purgationes istæ inter se dissident. In illis enim nullus alius humor, nisi qui naturæ molestus est, à facultate *primò* eiicitur: in his verò, omnis etiam humor, quemcunque assumptum pharmacum respicit, cogitur medicamento trahenti primò cedere, siue noxius sit, & naturæ negotiū facessat, siue non. Ita Gal. contra Erasistratū disputans, melanagogū dicit in morbo regio non bilem flauam, quæuis redundet, & naturæ parat molestiam, sed succum

*Erastus
electiuè
purganti-
bus non re-
ctè adme-
re vim at-
trahendi.*

*lib. de fa-
cult. purga-
med. cap. 40*

melan-

*de occult.
pharm. po-
test. cap. 62*

melancholicum educere, seq; Erasistrato omni sup-
plicio deinctum tradit, si hoc pharmaco ictericum sub-
leuabit. Et si sola facultas expultrix esset totalis cau-
sa purgationis, ratio reddi non posset, quare medica-
mentis electiuè purgantibus exhibitis, humores in
remotis etiam partibus existentes, tantum per aluum,
non verò per alias compendiosiores vias eijciantur:
Verbi gratia, humor pituitosus vel melancholicus
inferciens in Epileptico ventriculos cerebri, hausto
phlegmagogo vel melanagogo, educitur non per na-
res, nec per palatum, per quos meatus alioquin expul-
trix facultas excrementa cerebri secundum naturam
& compendiosè excernere solet, sed demum per vari-
os ductus, & longas ambages, ad centrum rediens, per
anum excernitur. Afferit quidem Erastus id du-
plici fieri de causa, quod scilicet intestina commodio-
res sint meatus, & quod pharmacum intestina & ini-
tia vasorum vehementius vellicet. Quod si ita est: Cur
vis expultrix propter hanc meatuum commoditatem,
non semper & omnem vitiosam materiam propellit,
sed modò ad cutim, vt in scabie, in Elephantiasi, in
herpete, modò ad articulos vt in arthritide, modò ad ce-
rebrum aliaq; viscera protrudit? Nec quicquam facul-
tas expultrix partis affectæ, seu continentis materiam
vitiosam, habet commune, cum expultrice intestino-
rum: siquidem longo interuallo à sese distant, nec vis
pharmaci irritatrix ad locum affectum pertingit, i-
deoq; humorem peccantem facultas expellens, medi-
camenti vi irritata, eijcere nequit: aut si eò pertingit,
& stimulat partis affectæ expultricem facultatem, ag-
gredietur quidem virtus *ωδινη* humorem vitiosum:
cum

eum autem non per intestina, sed per ea potius loca, per quæ iam ante pharmaci exhibitionem molita est euacuationem, educet. Et ut silentio præteream, quòd ipse Erasius non tantùm, quòd humores in corporis habitu existètes, per medicamenta purgari possint, sed etiam immemor sui ipsam medicamentorum tracti-
 nem, in secunda quæstione adeò acriter oppugnatam manifestis verbis concedat. Ita enim ait: Non nego cum Gal. quin aliquando, qui ex venis humor exierat, in easdem rursus ingrediatur, & per eas à circumferentia ad centrum & intestina perferatur. Etenim cum nuper admodum effluxit, necdum impactus est, non tantùm per medicamenta retrahi potest, verùm etiam sua sponte sæpè retrocedit. Ac ut dogma suum defenderet, coactus est asserere: quodlibet medicamentum quemlibet humorem purgare. Quòd quàm absurdum sit, etiam qui in primo saltem limine medicinam salutavit facile intelligit. Vnicum enim purgàs ad omnes humores purgandos sufficeret, cum hoc non minus, quàm alterum polleat vi irritandi facultatem expultricem: ac perinde releuaretur Ictericus per phlegmogogum & hydragogum, ac si ipsi cholagogum fuerit propinatum. Quàm verò id impossibile sit, docet Gal. & vsus quotidianus comprobat. Nec propterea, quod nullum in tota rerum natura exemplum tracti-
 onem medicamentorum simile ostendi possit, vis pharmacorum attractrix reiici debet: quippè foret hac ratione etiam tracti-
 onem in Magnete negandam esse, cum nec huius simile exemplum vllibi extet.

Cum itaq; per electiuè purgantia certus ac determinatus humor siue peccet, siue non educi possit,

D

per

de occultis
pharma.
potest cap.

62.

c c

c c

c c

c c

in tertia
quæst. eius-
dem tract.

de facul.
nat. cap. 13.

per alias verò purgationes, non nisi naturæ molestus, semperq; per aluum humoris etiam extra vasa in partibus remotioribus existentis fiat excretio, ipse etiam Erasius hanc tractionem concedat, nec quoduis medicamentum quemcunq; humorem purget: optimè statuitur purgationem, quæ fit per electiuè purgantia, tam à vi medicamentorum attractrice, quam à facultate partium expellente perfici: Nec adeò temerè, & sine graui causa à veterum monumentis, quibus tota ars medica accepta referri debet, recedere decet, nec conuenit inauditum & perniciosum dogma introducere.

Cur humor à medicamento, & non medicamentum ab humore attrahatur

Quorundam solutio.

3. de medic. facult. cap. 24.

impugnatur solutio.

Vera solutio.

Verùm quispiam fortè roget: cum purgatio per similitudinem fiat, quæ est inter medicamentum & humorem, humorq; iam actu calidus sit, medicamento verò calor, potentiâ latens, à calore nostro natiuo demum in actum deducatur: cur non potius medicamentum ab humore, quam humor à medicamento attrahatur? Respondent quidam, quòd medicamenta maiori sint prædita calore, quam humores trahendi: quod & ipse Gal. sensisse videtur, dum Cnicum, ait, calore suo pituita valentior esse, vt trahere quàm trahi magis par sit. Ex hac solutione, si vniuersaliter vera esset, hoc colligeretur; Rhabar. à bile flaua semper trahi; siquidem hæc illi calore suo præualet. Quare rectiùs dubium hoc ita solui posse arbitramur, vt dicatur id fieri vi similitudinis, qua medicamentum & humor aptus est vt illud trahat, hic verò attrahatur. Sic magnes semper trahit ferrum, nunquam verò à maxima etiam ferri mole attrahi potest: Quippè habet sibi ingenitum principium, secundum quod in ferrum agit, & haud à ferro patitur. Nec quòd humor actu calidus sit, me-

fit, medicamentum verò potestate, humori maior vis trahendi, quàm medicamento tribuenda est. Nam, ut ostensum est, non calor, sed indita proprietas est attractionis causa.

Ac ut rem paucis complectamur, dicimus quod facultas attractrix à totius substantiæ similitudine prodiens, humorem cuiq; medicamento familiarem attrahat, eumq; medicamentorum tractione variè excitatum, ac proindè naturæ molestum vis expultrix per aluum eiiciat. Et si medicamentum maiori, quàm conuenit, exhibeatur quantitate, non tantum per similitudinem totius substantiæ, proprius medicamenti euacuatur humor, sed huic etiam ob vasorum imbecillitatem, nimiam orificiorum apertionem, & purgantis mordacitatem, reliqui succedunt humores, ita tamen ut primò tenuis, & ad motum aptior, deinde paulò crassior exeat, hinc sequatur crassissimus, imò ipse quoq; si adeò effrena sit purgantis vis, sanguis, qui naturæ maximè est conueniens, atq; vnicus vitæ thesaurus, Et hæc quidem, quomodo medicamentum purgans operetur, dicta sufficiant. Sequitur caput secundum.

*Breuitè
repetitur
modus, quo
purgantis
humores at
trahunt &
euacuant.*

CAPVT SECVNDVM.

In præcedenti capite de purgationis definitione & differentia, & num inueniatur medicamentū, quod electiuè ducat sanguinè, pro instituti nostri ratione egimus; veramq; attractionis electiuè purgantiū causam attulimus, ob quam quodlibet pharmacū sibi familiare & determinatum humorè prolicit & euacuat. Iam verò dextrum purgantiū vsum, his sex scopis compræhensum: An, quid, quantum, quando, & per quem locum, &

quomodo purgatio instituenda vsurpandaq; sit, paucis explicabimus.

An purgandum qua indicent.

An igitur purgatione utendum sit, tum morbi materia, tum ægrotantis vires indicium faciunt. Si enim morbus à cacochymia dependeat, adfitq; virium robur, omnino corpus purgandum est: Nam humor, cuius prava qualitas corrigi nequit, per nullum aliud auxilium rectius, quàm per purgationem tollitur, præsertim si vires adhuc valeant, & medicamenti vim de potentia in actum deducere possint. Contrà verò in morbo, quem pura plethora, aut immaterialis intemperies produxit, prorsus à purgantium exhibitione abstinendum est. Cum enim ut supra demonstraui-

lib. quos quando purg. con. cap. 1.

mus medicamentum humorem sibi familiarem educat, nec ipsum in eiusmodi morbo reperiat, sanguinem & carnes, teste Gal. colliquat, ut ex ijs, quod suum est, elicere possit, & inducit vertigines & tormina, purgandi q; parit difficultatem, & ægri celeriter exoluit vires: uti videre est in ijs quoq;, qui ab omni cacochymia liberi optimè valent, quàm ægrè, quàm molestè ferant medicationes. Et licet adfit humorum impuritas: tamen si vires nimio languore prostratæ sunt, purgatio nunquam tentanda est. Quis enim fieri potest, ut vires iam imbecilles, si adhuc vi pharmacorum laceffantur, morbo non succumbant, & deperdantur? Quare subindè ad morbi materiam, & vires ægri ille animi oculus defigendus est.

1. aph. 37.

Quid purgandum qua indicent.

Quid verò purgandum occurrat, morbi materia, & reliqua coindicantia, à temperamento, ab ætate, à vitæ genere, ab anni tempore, & à victu præcedenti desumta facilè ostendunt. Sic materia tertianæ puræ
indicat

nec admodum gracilis, aut pinguis, sed mediocri præditus habitu corporis, & consistentem habeat ætatem, atq; purgare antea consueuerit, & rarò se exerceat, sitq; masculus, & viuat in regione calida & humida, & in anni tempore, quod eadē cum regione obtinet qualitates, purgatio paulò validior tutò institui potest.

At si humores viscosi non admodum redundant, sed tenues & ad motum apti, sint nec longè à ventriculo & intestinis distent, vel etiam in ijs hæreant, vires quoq; langueant, sitq; patiens calidus & siccus, vel frigidus & siccus, vel frigidus & humidus, vel immoderatè pinguis, aut gracilis, & sit puer, aut senex, nec antea vnquam vsus sit purgatione, & multùm de corporis substantia per varios motus, & labores vehementes deperdat, sitq; foemella, & quidem grauida, & degat in anni & regionis constitutione vel nimium calida & sicca, vel frigida & sicca, vel frigida & humida, nequaquam vehementia purgantia exhibenda sunt. Humores enim fluxiles & in prima regione existentes, facilè cedunt, medicamento etiam mitissimo: nec corpora calida & sicca purgationem paulò maiorem ob sanguinis, spirituumq; inopiam, & ob humorum promptitudinem ad inflammationes, & ob virium debilitatem, facilè ferre possunt. Ita etiam frigida & sicca, & frigida & humida corpora maximam sentiunt in purgando difficultatem, tum quòd sanguinis atq; spirituum laborent penuria, tum etiam quòd habeant angustas vias, quæ non liberum medicamenti & humoribus vacuandis transitum præbent. Verùm calidi & humidi citra molestiam, maiorem purgationem tolerant, propter humorum exuperantiam, & virium integritatem.

tatem. Et certè, si valdè pingues, aut graciles vehementer purgentur, verendum est: ne in illis frigiditas præualeat, venasq; caro opprimat, & inanes claudat, vnde calore natiuo suffocato, ipsa mors subsequatur: in his verò ne principales facultates dissoluantur, & humidum radicale, cuius, vt & caloris natiui exiguam habent portionem, prorsus absumatur, calorq; insitus, ob pabuli sui defectum extinguatur. Nec minus peccat, qui, vel pueros, quorum substantia continuè & insigniter, propter inordinatos motus, & nimiam auctorem, dissipatur; vel senes, quorum vita, instar lucernæ parum iam habentis seu olei, extingui solet, vehementi audeo pharmaco euacuare. Et consultum esse iudicamus, vt pueri & senes à purgationibus omninò abstineant, vel certè si maxima vrgeat cacochymia, suademus, vt pharmacis lenissimis, & benignissimis, & quidè in conuenienti dosi exhibitis vtantur. Idè esto de prægnantibus iudicium. Insueti quoq; plurimùm leduntur, si medicamentum purgans, in paulò maiori, quàm conueniat, dosi ipsis propinetur. Nam, qui consueuerunt solitos ferre labores, etiamsi fuerint imbecilles & senes, non consuetis, fortibus, atq; iuuenibus faciliùs ferunt. Proinde blandis sensim pharmacis purgationum insuetos tentare: & non temerè vehementioribus impetere atque labefactare expedit. Quippè reperitur quandoq; in corporibus humanis, quædam *ιδίωσ ηργασία*, sequens peculiarem & incognitum missionis modum, qua aliqui facili, ac leni purgantur pharmaco, ex forti pereunt: contrà verò alij. Nec balneatores, baiulos, fossores, fabros ferrarios, & alios qui circa opificia laboriosa versantur, multùm euacuare

2. aph. 49.

c c

c c

cuare

uacuare conuenit: Si enim resolutio, quæ per continuos sudores fit, purgando augeatur, omnimoda sequetur virium eneruatio. Quare hæc diligenter cognoscenda & ponderanda sunt, ne incauti in quantitate medicamentorum aberremus, & fortè vnà cum humore peccante ipsam tollamus vitam.

Quoniam autem nec ista ad iustam purgationis quantitatem determinandam nouisse sufficiunt, nisi quoq; communis medicamentorum dosis sit probè cognita; non abs re videtur de purgantium DOSI hoc loco obiter pauca inferere. Trademus verò qua quantitate simplicia purgantia secundum mentem probatiss. authorum sint exhibenda, & generalem compositorum dosim annotabimus modumq; assignabimus, quo unusquisq; per se, omnium purgantium compositorum, siue sint pilulæ, siue electuaria, &c. legitimam dosim facilè inuestigare possit.

medicamenta alta purgant. alia tantum laxant.

Sciendum itaq;, quod medicamenta, quæ corpus nostrum purgant, sint in duplici differentia. Quædam enim à proprietate totius substantiæ, sibi peculiare attrahunt humores: quædam verò, ob materiæ suæ conditionem quosuis humores & feces in ventriculo atq; in intestinis hærentes euacuant. Ita leniendo & emolliendo aluum subducit althæa, butyrum, malua, mercurialis, oleum, pruna, viola, & eiusmodi alia: cotonea verò mala, & pyra austeriora, post cibum assumpta, sua astrictione, & oris ventriculi corroboratione per accidens sedes promouent. Cum verò, quæ vi materiæ laxant, impropriè dicantur purgantia, nec multùm referat, si quis ea paulò maiori, minoriue, pro libitu, sumat quantitate, eò quòd non tam medicamenta

camenta sint, quàm cibi medicamentosi: his omissis, de illis solùm, quæ attrahendo euacuant, agemus, exordientes à simplicibus.

Simplicia itaq; omnia, ducunt aut aquam seu serosum humorem, aut flauam bilem, aut pituitam, aut melancholiam, & quidem tripliciter: vel leniter, vel mediocriter, vel vehementer.

De Dosi purgantium simplicium.

Leniter aquam hydropicorum purgat succus ebulli, ex radice vel medio cortice expressus, & datur ℥j pondere. Idem præstat fructus ebuli, duplo sacchari, & parte cinamomi octaua conditus, & in eadem, quam succus dosi exhibitus.

Leniter purgat serosum humorem Ebulus & eius dosis.

Vehementer aquam educit in abdomine collectam Mezerium, aliàs semen thymeleæ, & granum gnidij dictum, cuius dosis in decocto est à ʒβ vsq; ad ʒj: in puluere verò à caract. seu kiratis duobus vsq; ad quinq; id est à gr. viij vsq; ad gr. xx. Eodem modo extrahit aquam citrinam Elaterium, quod est succus Cucumeris sylvestris, & iuxta Mesuem, exhiberi solet, à gr. x vsq; ad gr.

Vehementer purgantium serosum humorem doses. Mezerium.

xx: puluis verò radice eius datur à gr. xv. vsq; ad gr. xxx. Esula quoq; eadem vehementia hydropis materiam elicit: cuius radice corticem à caractis duobus vsq; ad kara. viij; & lac eius, quod & succus rithymali dicitur, à caract. vno vsq; ad caract. iij exhibet Mesues. Secundum Fernesium autè radice cortex in puluerem redactus datur à gr. v. vsq; ad gr. x. lac verò à gr. iij. ad gr. vij.

Elaterium

Esula.

Leniter bilem flauam educunt Cassia, manna, rosa, viola, & tamarindi. Et datur Cassia cum in substantia, tum in infusione ab ʒj ad ʒiβ. Manna dosis est secundum Mesuem à ʒvj vsq; ad ʒxv. hodiè verò vt plurimum exhibetur, ab ʒij ad ʒiij: vel vt Mercurialis vult ad ʒv.

Leniter purgantium bilem flauam doses.

Cassia. Manna.

E

Censet

lib. 2. de cō-
pos. med.
cap. 6.

cap. 37.
tract. de
med. pur-
gant.

Rosa.

Viola.

Tamarindi

Mediocri-

ter bilem

flavam e-

uacuantu-

um doses.

Absynthiū.

Aloes.

Eupatoriū

Myrobola-

ni citrini.

Rhabarb.

Psyllium.

Vehemen-

ter purgan-

sis bilem

flavam do-

sis.

Scammoni-

um seu dia-

gridium.

Pituitam

mediocri-

ter purgan-

tium doses

Agaricus.

Aristolo-

chia

Been.

Censet enim, vt & ipse Gabriel Fallopius, medicus e-
minentissimus, Mesuem vel diuersam à nostra habuisse
mannam, vel eidem alia etiam adiecisse purgantia. *Rosa-*
rum & violarum succus propinatur ab ℥ j ad ℥ ij. Sin tan-
tum infundantur datur infusio ab ℥ iij ad ℥ viij. *Tama-*
rindi dantur ab ℥ ij ad ℥ v.

Mediocriter bilem flavam euacuant, absynthi-
um, aloë, eupatorium, myrobolani citrini, Rhabarba-
rum, & semen psyllij. *Absynthij* puluis datur à ℥ ij ad
℥ iij: succus à ℥ iij ad ℥ ℞: infusio ab ℥ v ad ℥ viij. Dosis
Aloës, secundum Auerrhoëm, est à ℥ j ad ℥ ij: secundum
Mesuem ab aureo semis, id est à ℥ ij ad ℥ ij: in infusio-
ne verò ab aureo vno ad aureos iij. pulueris *Eupatoriij*
dosis est à ℥ ij vsq; ad ℥ iij: decoctionis verò ab ℥ iij
vsq; ad ℥ vj. *Myrobolanos citrinos*, Mesues dat in substan-
tia à ℥ ij vsq; ad ℥ v, in infusione à ℥ v. vsq; ad ℥ xx. Me-
curialis pro ℥ xx legit ℥ x. *Rhabarbari* dosis in substantia
est à ℥ j ad ℥ ij ℞: in infusione à ℥ j ℞ ad ℥ iij. *Psyllij* semen
datur à ℥ j ad ℥ iij.

Vehementer choleram elicit *Scammonium*, quod
præparatum in officinis *Diagridium* dicitur, & secun-
dum Mesuem datur à gr. v ad gr. x ij.

Pituitam leniter purgantia nulla reperiuntur:
mediocriter autem eandem euacuant, agaricus, ari-
stolochia, been, Myrobolani bellerici, chebuli, & em-
blici, cartamus, genistæ semen, hyssopus montanus,
& hortensis, iris, oppoponax, sarcocolla, serapium,
turbit. *Agaricum* Mesues in substantia à ℥ j ad ℥ ij, in de-
coctione à ℥ ij ad ℥ v. exhibet. Verùm hodiè vix ℥ ij
transcendimus etiam in infusione. *Aristolochie* quanti-
tas est à ℥ j vsq; ad aureum j. *Been* seu *nux mirepstica* da-
tur à

tur à 3ß vsq; ad 3 iß. *Myrobolanorum bellericorū* dosis est in *Myrobola-*
 substantia à 3 iß ad 3ß: in infusione ab 3ß ad 3 j. *Chebul-*
orum in substantia à 3 ij ad 3ß: in infusione ab 3ß ad 3x. *chebuli*
Emblicorum in substantia ab 3 iß ad 3ß, in infusione ab *Emblici.*
 3ß ad 3 j. *Cartamus* seu *Cnicus* datur à 3 iij ad aureos v. & *Cartamus*
 flos eius à 3 j ad aur. ij. Dosis *seminis geniste* est, à 3 ij vsq; *genista*
 ad 3ß. *florum eius* à 3 ij ad 3 v. Pulvis *Hysopi montani* da- *Hysopus*
 tur à 3 iij ad 3 vij: decoctionis à 3 vj ad 3x. *Hortensis* *montanus*
 verò pulvis datur à 3 ij ad 3ß: decoctionis à 3 v ad 3x. *Hortensis*
 Radicem *Iridos Mesues* à 3 ij ad 3 vj exhibet. *Oppo-* *Iris.*
ponax datur à 3 j ad 3 ij. *Sarcocolla* quoque à 3 j ad *opponax.*
 3 ij. *Serapij* dosis est à 3ß ad aureum j. Et *Turbiz* do- *Sarcocolla.*
 sin in substantia præscribit Mesues à 3 j ad 3 ij, in in- *Serapij.*
 fusione à 3 ij ad 3ß: nostro seculo communiter datur 3 j *Turbiz.*
 vel paulo plus.

Vehementi vi ac perturbatione pituitam eijci- *Colocynthis*
 unt colocynthis, Euphorbium, & hermodactylus.
Colocynthis dosis in pulvere secundum Mesuem est à
 caract. sex, vsque ad x. id est, à gr. xxiiij vsque ad gr.
 xl. Serapio verò ponit dosin, à caract. tribus vsque
 ad sex. & in fortioribus à gr. xv. vsque 3ß. Verùm
 hodiè vix ad gr. xv. ascendimus. *Euphorbium* datur *Euphorbi*
 à kira. j ad kira. iij. *Hermodactylus* iuxta Mesuem *Hermoda-*
 exhibetur à 3 iij ad 3 viij. Fernelius autem *ctylus.*
 pulveris dosin facit à 3ß ad 3 j: decoctionis à 3 j ad
 3 ij.

Iis quoq; quæ leniter melancholiam euacuant
 destituimur: sola excepta *sena*, quæ datur in substan- *sena.*
 tia à 3 j ad 3 ij: in infusione ab aur. iij ad 3 j.

Quæ verò eundem humorem facultate seu modo *Melancho-*
 medio- *liam medio*

*riter pur-
gantium
doses.
Epithymus*

mediocri educunt sunt Epithymus, fumaría, myro-
bolani indi, polypodium, & stœchas. Epithymi dosis
in substantia est à ʒij ad aur. iij: in decoctione à ʒv. ad
ʒvj: Nec sequendus est Mesues qui Epithymi dosin esse
scribit, in substantia quidem à ʒiij. ad ʒviij. in decoctio-
ne verò à ʒv. ad ʒxx. Nimum enim foret, si ad ʒxx a-
scenderemus. Ideoq; censemus sphaema esse typogra-
phicum in textu Mesuæ, & rectissimè pro ʒxx ʒx sub-
stitui posse. *Fumarie* pulvis datur in substantia à ʒiij
ad ʒv: succus verò ab ʒβ ad ʒij. Dosis *Myrobolanorum In-*
dorum est in substantia à ʒij ad ʒβ, in decoctione ab ʒβ
ad ʒx. *Polypodij* dosis vlitata est à ʒij ad aur. iij. *Stœ-*
chados pulvis datur à ʒiij ad ʒv: decoctum ab ʒv. ad
ʒviij.

*Fumaría.
Myrobola-
ni Indt.*

*polypodiū.
Stœchas,*

*Melancho-
liam Sehe-
mèter pur-
gantium
doses.
Helleborus
niger, al-
bus.
Armenus
lapis.
lapis La-
zuli.*

Maximo robore & vehementia succum melan-
cholicum expurgant, helleborus vterq; , lapis arme-
nus, & lapis Lazuli. Et datur *Helleborus Niger seu Vera-*
trum à filiquis sex, id est à gr. xx iij ad ʒij. *Albi* verò *Elle-*
bori dosis Mesues non meminit, cum vt ipse ait, corpo-
ribus nostris sit tanquam venenum propriè suffocans.
Armeni lapidis illoti dosis est à ʒβ ad ʒj. loti à ʒj ad ʒij
Lapis Lazuli tutiùs secundum Auerrhoëm à ʒβ ad ʒj,
quàm iuxta Mesuem à ʒij ad ʒijβ propinatur.

*lib. 3. de
simpli. med
facul. cap.
14.*

Inter hæc pharmaca, quorum dosin hæctenus
annotauimus, sunt nonnulla, quæ præter illum humo-
rem, quem præcipuè euacuant, etiam alios eliciunt:
sic Scammonium, sena &c. bilem vtramq; , & pitui-
tam omnium consensu educunt: idq; ob diuersas medi-
camenti facultates. Nam medicamenta pleraq; , vt ipse
Gal. testatur, quæ sensui simplicia videntur, persæpè
compositas obtinent vires, imò verò nonnunquam et-
iam contrarias. In ge-

In genere autem de dosi notandum est, quòd vt plurimum simplicia leniter purgantia, dentur vncijs, mediocria drachmis, vehementia granis. Nec verò vnquam per se & seorsim vehementer purgantia tutò exhibentur sed semper lenibus tantum admiscenda sunt: Hac enim si absq; aliorum admistione vsurpantur, maximam vim naturæ inferre solent, ideoq; præstantissimi Medici quiq; ista tantum instar stimuli leniter & mediocriter purgantibus adiiciunt.

*generalis
de dosibus
simplicium
purgantium
regula.
Sola & he-
mèter pur-
gantia non
sunt & sur-
panda.*

Verum quomodo in compositione purgantium dosis eorum sit varianda, trademus, Deo volente, copiosius, cum de compositione medicamentorum agemus: breuiter solùm hoc loco obseruetur: Si medicamentum leniens, & medicamentum mediocriter purgans, vel leniens & vehementer purgans commiscantur, amborum vsitatam dosin retineri: cum lenientia purgent tantum ex ventriculo & intestinis, nec admodum iuuent mediocriter aut vehementer purgantium vim ex remotioribus partibus attrahendi. Quando verò medicamentum purgans mediocre cum mediocri, vel mediocre cum vehemèti componitur, tunc cuiusq; dimidia tantum pars dosis vsitæ retinetur. Itasi tria mediocria, aut tria vehementia (quod rarò, vel nunquam fit) aut vnum mediocre & duo vehementia, aut vnum vehemens & duo mediocria commiscenda & vsurpanda sunt, singulorum duntaxat tertia pars sumitur; & quidem si omnia eundem ducant humorem; vel etiam diuersos, æqualiter tamen abundantes. Si enim diuersi humores euacuandi sint, & alter horum altero magis abundet, illius medicamenti, quod humorem magis abundantem purgat, maior

*quomodo
dosis pur-
gantium
simplicium
cum inui-
cem commi-
scentur sit
varianda.*

quàm alterius, quantitas exhibenda est. Ut si pituita & bilis æquali copia peccent, sintq; per mediocri purgantia euacuandæ, fumo agaricum & Rhabarbarum, quæ mediocriter purgant, ille quidem pituitam, hoc flauam bilem: & cum amborum dosis vsitata sit z ij , vniuscuiusq; tantum dimidiam partem, id est, z j exhibeo, vnde pari copia, cum pituita tum bilis è corpore eiicitur. At si plus phlegmatis expurgandum sit, quàm bilis, augeo dimidiam partem dosis vsitatæ agarici & diminuo partem dimidiam dosis vsitatæ Rhabarbari, ita vt dem agarici z iiii , rhabarbari verò solùm z ij , & plus educetur pituitæ, quàm bilis. Idem sit iudicium de reliquis.

Et licet plurimum, quæ recensuimus, medicamentorum simplicium purgantium hodiè nullus in purgando vsus sit, vt sunt hyssopus vterq;, stœchas, genista, &c. tamen ea reliquis adiicere voluimus, vt si fortè in examine dosis purgantium compositorum occurrerent, eorum doses essent perfectè cognitæ. Atq; de simplicibus purgantibus hucusque: sequuntur composita.

De compositis purgantibus.

Composita purgantia sunt, aut syrapi, aut electuaria, aut species, aut pilulæ, aut trochisci.

Dosis syrapiorum.

Syrapi purgant vel bilem, vt syrupus rosar. laxat. syrup. Violar. syrup. ex flor. persicorum. syrup. de cichorio cum Rhabar. Vel pituitam, vt syrup. de bryonia, de hermodactyl. vel humores mixtos, vt syrup. Diacereos, & diacnicum. Horum communis dosis est ab z ij ad z iiii vel etiam ad z v .

Electuaria sunt aut lenitiua, aut solutiua: Lenitiua ducunt vel bilem, vt Diacassia cum manna, Diacassia magi-

magistralis, cassia extracta sine foliis senæ, cassia cum
 foliis senæ, Diaprunum compositum non laxatiuum.
 Elect. leniti. de manna: Vel *humores mixtos*, vt Elect. Lenitiorum Ele-
 lenit. Diacathol. Hæc dantur ab $\zeta\beta$ ad ζj vel ζx . Solutiorum
tina purgant aut *bilem flauam*, vt elect. de succo rosar. dosis.
 Elect. rosar. Mesuæ. Elect. de psyllio: diaprunum la-
 xati: aut *pituitam* vt benedict. laxat. Diaphænicon.
 Elect. Indum maius & minus, Elefoph, Diaturbith
 maius & minus, Hiera picra cum agarico: Hiera picra
 compos. Hiera Pachij, Hiera Hermetis, Diacolocyn-
 thidos Archigenis: aut *melancholiam*, vt diasena Nico-
 lai, Diasena Gentilis, Confect. Hamech maior & mi-
 nor, Diapolypodium, Hiera logodium: aut *humores*
mixtos: vt Catarthicum imperiale, Diacarthamum, Electuariorum solutio-
 Diaturbith cum Rhabar. Hiera Ruffi, Hiera Abbat. norum do-
 Horum omnium generalis *dosis* est à ζij ad $\zeta\beta$. sis.

Specierum autem ex quibus modò dicta electua- Specierum
 ria componuntur, *dosis* est à ζj ad ζij . dosis.

Pilule quoq; varij sunt generis: quædam enim
 purgant *bilem*, & vel ex *capite*, vt pilulæ aureæ pil. ara-
 bicæ: vel ex *Epate*, vt pilulæ ex Rhabar. pil. tabellia
 pil. de Eupatorio. Quædã euacuant *Pituitã*, & vel ex *ca-*
pite, vt pil. cochia, pil. ex colocynthide. pil. Alhandal.
 pil. ex octo rebus seu octomeræ, & pil. ex sex rebus: vel
 ex *thorace*, vt sunt pil. Hieræ cum agar. pil. ex agar. vel
 ex *Ventriculo* vt pil. alephang. pil. mastichinæ, pil. stoma-
 chicæ, pil. pestilentialis: vel ex *iuncturis*, vt pilulæ de her-
 modactyl. pil. arthriticæ pil. foetidæ maiores & mino-
 res, pil. ex opponace, pil. ex sagapeno, pil. de sarco-
 colla pil. benedictæ: Quædã educunt *melancholiã*, vt pil. de
 lapide

lapide armeno, pil. de lapide Lazuli, pil. ex fumaria, pil. Indæ. Quædam proliciunt *serosos humores*, quales sunt pil. de mezerio, pil. de Euphorbio. Quædam deniq; *mistos humores* purgant, & vel è *capite* vt pil. sine quibus, & pil. lucis maiores & minores: vel è *ventriculo*, vt pilulæ Hieræ simplicis & compositæ, pil. Assaieret, pil. ex aloë & mastiche, pil. de aloë lota, pil. Imperiales: vel ex *Epate*, vt pil. ex Halicacabo: vel ex *toto* vt pil. aggregatiuæ. Harum *dosis* generalis est à ℥ ijs ad

*Pilularum
dosis.*

℥ iij.

Trochiscorum quidam purgant mediocriter; quidam vehementer. Illi purgant aut *bilem*, vt trochif. de Rhabar. aut *Pituitam* vt troch. de agarico, agaricus trochiscatus, troch. Hamech. *Hi* euacuant vel *pituitam* vt troch. de Alhand. vel *humores mistos*, vt trochif. de violis cum scammonio. Trochisci mediocriter purgantes *dantur* à ℥ ij ad ℥ v. Qui vero vehementer purgant *exhibentur* à gr. v ad gr. xii.

*Trochiscorum
dosis mediocriter et
vehementer
purgantium
dosis.*

Verùm enimvero cum doses istæ generales quandoq; fallant, diligenter obseruandus est modus, quo omnium purgantium compositorum dosis aut inquiri, aut corrigi possit. *Modus* ergò hic esto: quandoq; offertur aliquod purgans compositum, cuius dosin author non adiecit, vel in ea errore typographi sphalma admissum est, statim hac via instituenda est supputatio. Et *Primo* quidem memoria repetenda sunt, quæ paulò ante de dosi, & qualitate simplicium attulimus. *Deindè* quæcunq; in composito reperiuntur simplicia, vnumquodq; ad suam classem referendum est: Ita Rhabar. ijs, quæ mediocriter purgant bilem, annumeratur: Scammonium verò, ijs, quæ vehementer ducunt eundem

*Modus quo
omnium cõ
positorum
purgantium
dosis aut
inuestigari
aut corrigi
possit.*

eundem humorem. Tertiò videndum quot doses largiuntur omnia purgantia simplicia totius compositi, si singula seorsim exhibeantur: doses verò collectæ notandæ sunt. Quarto expendatur, quot drachamarum vel scrupulorum sit totum compositum, quod constat cum ex purgantibus tum ex alijs speciebus, succis, vel saccharo, quæ purgantibus multiplici de causa adijciuntur. Tandem eiusmodi analogia, secundum regulam proportionum, instituatur: tot doses simplicium purgantium dant tot drachmas vel scrupulos totius compositi; quot dabit vna purgantium dosis drachmas vel scrupulos compositi?

Quoniam autem exempla sunt rerum obsides, hanc præceptorum normam vno atq; altero exemplo declarabimus. Primum sint *Pilule aureæ* in quibus duo reperiuntur purgantia, Diagridium scilicet, & pulpa colocynthidis: illud purgat vehementer bilem, hæc eadem vehementia pituitam. Ergo Diagridium ad vehementer bilem purgantia refero, & pulpam colocynthidis vehementer pituitam euacuantibus annúmero. Et siquidem secundum Mesuem Diagridium datur à gr. v. ad gr. xii. fumo gr. x. tanquam dosin ferè mediocrem, & per ea diuido 3 vj Diagridij, quæ ingrediuntur has pilulas. Ut verò diuisio eò expeditior sit, has drachmas sex resoluo in grana, & proueniunt gr. CCCLX. Hæc diuisa per grana x dant Diagridij doses XXXVI, quas referuo. Similiter 3 j pulpæ colocynthidis, resoluo in gr. LX, quæ diuido per gr. x, quæ sunt colocynthidis seorsim exhibitæ dosis conueniens, & largiuntur sex doses. Has igitur, cum diagridij dosibus coniungo, & exurgunt in vniuersum XLII

F doses.

Primum
exemplum

doses. Iam inquirō totius compositi quantitatem, quam inuenio 3 xxiiij^{ss} seu ̄LXXIIII. Nam tota harum pilularum compositio habet specierum, cum purgantium, tum reliquarum 3 xvij^{ss}. Et licet mucilaginis tragacanthæ quantitas non sit in textu definita: tamen regulare est, vt ad conficiendum magladium, seu massam pilularum, specierum duæ partes, vna autem mucilaginis, succi, aut syrapi sumantur. Addo igitur mucilaginis tragacanthæ 3 viij quæ cum specierum 3 xvij^{ss} faciunt ̄LXXIIII. Deniq; hanc instituto proportionem: XLII doses, dant ̄LXXIIII, quot dabit scrupulos, dosis vna? Ducatur vltimus in medium, & productum diuidatur per primum. Facta autem legitima operatione proueniunt ̄ij^{ss} gr. v. quæ sunt exacta harum pilularum dosis.

*modi hu-
ius utilitas*

Atq; hinc intelligere est, ex hoc modo facile colligi posse, non tantum veram dosin omnium compositorum: sed etiam, quem, aut quot humores, & quemcunq; humorem quantitate, & qua lenitate, vel vehemētia vnumquodq; compositum purget. Verbi gratia: in his pilulis offerunt se duo purgantia, nempe Diagridium, & pulpa colocynthidis. Cum igitur Diagridium ducat bilem, & pulpa colocynthidis pituitam, & quidem vtrumq; maxima vehemētia, & Diagridium habeat se ad pulpam colocynthidis in sextupla proportione; statim concludo has pilulas vehementer bilem flauam & pituitam purgare, verum ita, vt semper sex partes bilis, & vnica tantum pituitæ euacuetur.

*secundum
exemplum*

Alterum exemplum sit *Electuarium de succo rosarum*, in cuius compositionem ingreditur succus rosarum, qui leniter, & Diagridium quod vehementer bi-

ter bilem euacuat. Cum verò, vt suprà dictum, leni-
 entia tantum ex ventriculo & ex intestinis purgent, *fac. 29.*
 nec iuuent vim ex secunda tertiaue regione attrahen-
 di mediocriter & vehementer purgantium; colligo
 prorsus eodem modo, quo in præcedenti exemplo,
 Diagridij doses, & inuenio LXXII. Totius verò Ele-
 ctuarij pondus est 3 CCLV & 3 j seu 3 DCCLXVI
 (omissis 3 iiij. quæ facilè, dum succus cum saccharo ad
 iustam consistentiam coquitur, exhalant.) Iam insti-
 tuo talem analogiã: LXXII doses, dant 3 DCCLXVI:
 quot dabit scrupulos, vna dosis? Calculo subducto e-
 mergunt 3 x gr. x. quæ exactè describunt dosin conue-
 nientem huius electuarij.

Atq; iste modus in reliquis omnibus valet: præ-
 fertim si summa diligentia obseruetur, eorum præpa-
 ratio, fermentatio, & compositio: quippè secundum
 has, non rarò alia, quàm in textu reperitur, constitu-
 enda est compositi quantitas. Sic coctio medicamen-
 torum, ob plurimam exhalationem suadet, vt totius
 compositi pondus, in textu positum, pro breuioris,
 diuturniorisue coctionis ratione, imminuatur. Diu-
 turna verò fermentatio, & adiecta medicamenta, quæ
 malignam purgantium qualitatem corrigunt, insinu-
 ant, in inuestigatione dosis compositi, simplicium
 purgantium dosin vsitatam augendam esse.

Verum hæc dicta sint, de dosibus purgantium
 compositorum, seorsim sumtorum. Vbi verò libuerit, *de desi com*
 ob humorum purgandorum varietatem, duobus, aut *positorum*
 tribus inuicem mistis vna vice vti compositis, varian- *inter se*
 da dosis est, secundum normam, suprà de commistio- *mixtorum*
 ne simplicium purgantium traditã. Sed de quantitate *fac. 29.*

purgationis determinanda hæctenus. Sequitur tempus purgationis.

Quando
purgandū
qua indi-
cent.
Hip. lib. 6.
aph. 47.

Tempus, quo commodè & tutò purgatio fieri possit, indicat nobis tempus anni, dies, & diei hora, & morborum generalia tempora. In *vere* enim quibus vena sectio aut purgatio prodest, his secanda vena, aut purgatio imperanda est. Quippè tunc ex æquo temperatum est corpus, & venæ patent, & humores in modo substantiæ mediocritatem obtinent. Post *Ver Autumnus* purgationibus maximè idoneus est, cum sæpè in *veris* naturam mutetur, & Gal. & Ruffus apud Orribasium, præcipiant, vt illi, qui purgandi sunt, vel *vere*, vel *autumno* purgentur. Minus ad purgationes accommodata est *Hyems*, ob nimium & intensum frigus. Per hoc enim humores impacti, tenaces, crassi, & immobiles fiunt, & admodum difficulter cedunt medicamento trahenti. Periculosissimum autem tempus *Aestas* haud immeritò censetur. Vites enim eo tempore ex ambientis aëris æstu exoluuntur, & corpora per se satis calida, per calorem & acredinem medicamentorum purgantium magis exuruntur, maximaq; naturæ vis infertur, dum aëris caliditas humorem ad circumferentiam allicit, pharmacum verò ad centrum eisdem retrahit: vnde accidere solet, vt complures hoc tempore purgati feбри corripiantur: adeo vt rectè Hip. moneat: Sub cane & ante canem, difficiles esse purgationes.

lib. 4. aph. 5

Medico
sunt astra
observanda.

Verùm non tantum caniculæ exortus, Medico diligenter obseruandus est, sed etiam Arcturi & Pleiadum, & aliarum stellarum, quæ insignes sunt, & maximam, teste experientia, habent in nostris corporibus effi-

bus efficaciam. Morbi enim vt plurimum in his die- *Hip. lib. de*
 bus iudicantur, alijq; perimunt, alij verò desinunt, *aer. aq. &*
 aut in aliam speciem, aliumq; statum transmutantur. *loc.*
 Nec Medico contemnenda sunt Solstitia, Aequino- *cc*
 ctia, & magnæ temporum mutationes. Hæc enim i- *cc*
 psum Hip. & Gal. obseruasse legimus, nec in illis Hip. *ibid.*
 medicinas libenter exhibuisse, neq; vssisse quæ circa *cc*
 ventrem sunt, neq; fecuisse, priusquam præterissent *cc*
 dies decem aut plures, & non pauciores: Imò Astrono- *cc*
 mia non minimam partem confert ad rem medicam *cc*
 sed omnium plurimam: cum vnâ cum temporibus & *cc*
 ventriculi in hominibus mutetur, vt ipse Hip. testatur. *cc*
 Et Fernelius in præfatione suæ medicinæ: nemo, in- *ibid.*
 quit, vel in primo limine salutare tentet medicinam,
 qui non prius Astronomiam &c. didicerit.

Sed quæ hætenus de temporibus anni, & obser- *Nota.*
 uatione astrorum diximus, tantum de præseruatione,
 & de morbo inducias præbente intelligenda sunt.
 Ridiculum enim foret, si Medicus haberet manifestas
 purgationis indicationes, & vellet ob solum anni tem-
 pus inconueniens, aut ob malignos planetarum aspe-
 ctus purgationem differre, atq; concedere, vt interim
 morbus agrum iugulet. Felicius quidem purgatio
 succedit, si vniuersalis causa cum particulari conueni-
 at: prudentis tamen est, inter duo mala, quod minus
 est, eligere, & purgationem, non vehementibus, ac si
 omnia consentirent, sed benignis & lenibus pharma-
 cis perficere.

Dicrum quoq; obseruatio apprimè in purganti- *diebus cri-*
 bus propiandis utilis est. Criticus enim dies omni- *ticis non est*
 nò à purgantium vsu abstinendum esse suadet, præser- *purgandus*
 tim si

lib. 4. de
morbis.

tim si iam signa manifestæ coctionis adsint. Nam alioquin crisis, quam natura fortè per hæmorrhagiam narium, vel per vomitum, vel per sudores, vel per vesicam molitur, impediretur; & ut ait Hip. quicumque continua feбри correpti, pharmaco vsi sunt in diebus paribus, hi nimiùm purgati nunquam sunt. Qui verò in diebus imparibus medicamento forti vsi sunt, nimiùm purgati sunt. Humor enim in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum transmittente. Et si quis iam turbatur, adhuc magis perturbatur medicamento immisso, nihil miri est, ex talibus hominem perire.

Inter diei *horas* in morbis accessiones habentibus, illa purgationibus destinanda est, qua morbus intermittit, aut saltem remittit: in morbis verò, qui per circuitum haud recurrunt, matutina reliquis anteferenda est: Siquidem à solis exortu sanguis & reliqui humores suscitantur, ipsoq; diei lumine tenuiores, fluxuiq; fiunt aptiores, maximè secunda, tertiaq; diei hora: nec ita à cibis iam dudum concoctis, & in corporis habitum distributis, pharmaci operatio impediri potest, ac si alia quavis diei hora exhiberetur.

lib. de temp
morb.

Tempora morbi quatuor à Gal. numerantur: principium, augmentum, status, & declinatio. In ipso igitur acutorum morborum *principio* (quod non pro prima morbi inuasionem, nec pro eo, quod latitudinem obtinet, & ad tertium extenditur diem, sumimus, sed pro prima totius morbi parte accipimus, quæ signis coctionis definiri solet, non autem dierum numero,) in quibus materia turget, corpora purgare conuenit, nullis

nullis etiam coctionis signis apparentibus: vt ipsemet
 Hip. monet; vbi, medicari, inquit, in valdè acutis, si
 materia turgeat, eadem die; cunctari enim in his ma-
 lum est: quippè periculum est, ne humores motu vehe-
 menti agitati, in membrum principale irruant, ægrum-
 q; interimant. In *principio* autem morborum acutorum,
 qui existunt citra humorum turgentiam, nunquam,
 aut certè, vt vult Hip. rarò medicamento purgante v-
 tendum est: idq; diligenti cum præmeditatione fieri
 oportet. In chronicorum quoq; morborum *Principio*,
 purgatio tentanda non est, sed semper expectandum,
 donec manifesta coctionis signa appareant, iuxta Hip.
 sancitum: quo concocta maturaque medicari ac mo-
 uere præcipit, non cruda: & Gal. in longis, inquit,
 morbis semper oportet concoctionem expectare: &
 alibi: cauendum est, corpora expurgare, omninò ap-
 parente cruditate in succis. Tunc enim habemus pri-
 mùm ipsam naturam vacuationis adiutricem, cum hu-
 mores cōcti sunt: siquidem ipsa post coctionem aper-
 tè videtur humores secernere, & quod superuacane-
 um est, expellere. Imò purgatione quoque auoca-
 tur natura ab humorum coctione, quæ quiete & calo-
 re moderato, non verò purgantibus, quæ omnia fa-
 cultate sunt calida, & humores exagitant, perfici so-
 let.

Verùm hoc loco meminisse oportet præcepti Gal.
 quod ei primum subueniendū sit, quod magis vrget, al-
 tero tamè non prorsus neglecto. Proindè quæcunq; de
 materiæ cōcoctione attulim⁹, eatenùs acceptāda sunt,
 quatenùs nulla accidunt, quæ nos omninò ad purgan-
 dum, præter materiæ turgentiam, & coctionem adi-
 gunt:

Hip. 4. aph.

10.

c c

c c

1. aph. 24.

1. ap. 22.

1. ap. 24.

4. de rat.

vitt. com.

33.

Gal. 1. aph.

24.

3. meth.

med.

Nota.

gunt. Si enim tanta adsit humorum copia, quam natura non tantum non potest superare, sed etiam metus impendet, ne copia ista naturam obruat, certè non video, quid possit lenem purgationem prohibere: per hanc etenim natura aliquantulum à mole humorum vindicata, promptè refocillatur, viresq; assumit, quibus faciliùs, quod reliquum est, concoquere ac deniq; vincere potest. Et fatiùs profectò est anceps auxilium hac in re experiri, quàm nullum.

*Celsus lib.
2. cap. 10.*

*Quæ con-
coctæ intel-
ligat Hip.
1. ahp. 22.*

Sed dubium hoc loco suboritur, de quibusnam loquatur concoctis in modo citato aphorismo Hip. Concoctorum enim quadruplex potest constitui genus. Primò namq; concocti dicuntur humores, quicunq; à calore nativo debili, ex humido & sicco ciborum, geniti, demum ad aucto calore perficiuntur. Ita concoctum appellamus sanguinem, quem calor nativus maius acquirens robur, ex pituita cruda produxit. Deindè humores tenues acquirentes iustam consistentiam, & ipsorum formæ convenientem, concoctos dicimus. Tertio humores concoctos nuncupamus, qui postquam aliquid contraxere putredinis, iterum pristinae ac propriae restituuntur naturæ. Deniq; concoctis quoq; annumeramus omnes humores, qui profusè erant putridi, & per concoctionem benigniores fiunt, & in pus album, crassum, & foetore omni carens vertuntur. Nos eos tantum concoctos humores, quorum omnem naturam putredo abolevit, Hip. intellexisse, constanter asserimus. Hi enim non solum dum crudi seu putridi existunt, sed etiam cum iam cocti sunt, toto genere sunt præter naturam. Nam licet in eorum coctionem natura strenuè incumbat, nunquam

quam tamen eos prorsus restituit: verum illorum tantum feruorem, ac redinem, & foetorem obtundit, eosque successiuè in pus quoddam conuertit. Hoc ergo cum morbos recidiuos, si diutiùs in corpore commoretur, parere soleat, rectè Hip. quamuis concoctum sit, si natura cunctetur, purgare præcipit. Reliqui verò humores, quamprimùm concocti fuerint, genuinam nanciscuntur naturam, & corpus nutriunt. Quis igitur sit tantæ amentiae, qui humores secundum naturam existentes, & ad nutritionem idoneos, præsertim si non peccent sua quantitate, corpori subtrahere non dubitet? De sanguine ex pituita cruda per vltiorem concoctionem confecto & de alijs humoribus iustam consistentiam, & suæ naturæ conuenientem affectus, quod corpori, eiusque certis quibusdam partibus nutrimentum suppeditent, nullum prorsus est dubium: Quòd verò semiputridi humores possint corrigi, atque correctos corpus nutrire, ipsemet Gal. passim testatur.

Gal. lib. 2.
de Syst. rat
tex. 45.

2. aph. 12.

2. aph. 17.

11. meth.

med. cap. 9

2. Epid. sect.

2. com. tex.

44.

De augmento idem, quod de principio diximus, statuendum. Nam hinc quoque, si materia concitetur, purgatio maturanda est: aliàs verò cum in acutis tum in diuturnis morbis materiae concoctio expectanda est: nisi fortè humores peccantes adeò abundant, ut impossibile sit, eos posse à natura vinci. Hoc enim in casu, per medicamenta lenientia vtiliter aliqua humorum particula & potest & debet detrahi: cum hac ratione naturæ laboranti suppetias feramus. Ita Gal. in tertiana notha, exhibet blandè purgantia medicamenta, crudâ adhuc existente materiâ.

1. ad Glau.

In Statu nullum exhibendum esse pharmacum

G

ex Hip.

2. aph. 29. ex Hip. liquet. Sic enim ait; morbis incipientibus, si
 2. aph. 30. quid mouendum esse videtur, moue: vigentibus autem,
 quiescere multò præstat. Circà enim initia & finem
 morborum, omnia sunt remissiora symptomata, in sta-
 tu vehementiora: in vigore quoq; & animalis facultas
 admodum languet, & natura à materiæ concoctione, in
 quam tunc maximè incumbit, minimè auocanda est: vt
 nil dicam, quòd per pharmaci exhibitionem crisis,
 quam in statu natura non semper per aluum, sed per a-
 lias vias quandoq; tentat, interturbari possit.

In *declinatione* dubium non est, quin materia à
 natura, post crisin relicta, tutò per pharmacum & pos-
 sit & debeat euacuari, vt corpus à morbo futuro præ-
 feruetur. Nam quæ à morbis post crisin relinquun-
 tur, recidiuos morbos facere consueuerunt. Siquidem
 2. aph. 12. enim vt Gal. ait, residua portio totius humoris, qui
 1bid. morbi causa erat, naturam redolet, consentaneum est,
 illum nequaquam posse in corporis substantiam con-
 uerti, sed paulò post humores puros, & recens etiam
 alimentum inquinare, recidiuosq; morbos excitare.

Nota. In genere autem de temporibus morborum no-
 tetur, quòd in his omnibus liceat purgationibus vti,
 si materia turgeat, & virtus, de qua omnium prima su-
 mitur indicatio, non admodum sit prostrata, nec hu-
 mores sint viscidi aut crudi, sed tenues & aquosi.

per quem
 locum pur-
 gandum.
 1. aph. 21. In omni quoq; euacuatione *locus*, per quem fieri
 debeat, diligenter considerandus est. Quæ enim edu-
 cere oportet, quoquò maximè natura vergit per loca
 conferentia, eò ducere conuenit.

Indicantia
 locum pur-
 gationis. In primis autem locum purgationis indicat, anni
 tempus, pars affecta, patientis aptitudo & constitutio.

Nam

Nam æstate superiorem potius ventrem, hyeme infe-
riorem purgari conuenit. Et supra septum transuer-
sum dolores, quicunq; egent purgatione, per superio-
ra purgandum esse significat: qui verò infrà sunt, per
inferiora. Et graciles, qui ad vomitionem sunt faci-
les, per superiora purga, nisi hyems adsit: ægrè verò
vomentes, & modicè carnosos, quos *ευστασις* Græci ap-
pellant, infernè purgato, deuitans æstatem. Melan-
cholicos infrà vehementiùs purgabis, eadem ratione
contrariam iniens vacuandi viam.

Modus purgationis consistit in forma, & qualita-
te purgantium; quas indicat euacuandi humoris lo-
cus, & ægri natura. Nam si materia peccans hæreat
in prima regione, communiter pharmaca in forma po-
tionis propinamus: si verò circa corporis ambitum,
seu circa cutem & partes exteriores consistat, in for-
ma boli, aut pilularum purgantia exhibemus. Bolus e-
nim ac pilulæ, cum solidæ sint, diutiùs in ventriculo
morantur, ideoq; faciliùs, è partibus longè diffitis ma-
teriam vitiolam attrahere possunt. Contrà verò potio,
ob celerem sui per ventriculum & intestina transitum,
non adeò remotos euacuat humores. Nec satis est, ad e-
ductionem materiæ existentis in ipsa partiù substantia,
quæ ad summam cutim atq; articulos accedunt, medi-
camenta in forma solida exhibuisse, nisi quoq; accedat
vehemens purgantis qualitas, seu robur. Itaq; si oculi,
aut alia quæcunq; à ventriculo paulò remotior pars
purganda sit, lenibus & mediocribus pharmacis lem-
per adijcimus ea, quæ vehementem habent vim pur-
gandi, qualia sunt Diagridium, colocynthis, Ellebo-
rum &c. Mitiora namq; è prima corporis regione, me-

diocria è vasis maioribus, valentiora è corporis habitu, ex singulisq; particulis euacuant. Per naturam ægri hoc loco intelligimus temperamentum atq; naturalem potentiam & impotentiam. Melancholicis ergò & pituitosis potio magis conuenit, quàm bolus, aut pilulæ. Horum enim calor debilis, tardiùs & difficiliùs solida medicamenta dissoluere, & in actum deducere potest. Contrarium verò in biliosis & sanguineis, ob contrariam causam, quotidiano vsu obseruatur. Sunt etiam quædã naturæ, quæ prorsùs à potionibus abhorrent, & malunt pilulis vel electuarijs purgari: Quidam autem potiones respuunt, & delectantur bolis pilulisuè. Inueniuntur quoq; nonnulli, quorum aluus non nisi vehementer purgantibus, & quidem in magna dosi exhibitis, moueri potest: alij contrà facillè pharmacis quàm lenissimis, imò quoque nonnunquam, solo purgantium odore, purgantur. Verùm de capite secundo hætenus: restat tertium.

CAPVT TERTIVM.

Scopos legitimæ purgationis in secundo capite, qua licuit dexteritate, explicauimus: Reliquum est, vt de norma quoq;, secundum quam æger ante, in, & post purgationem regendus est, quambreuissimè agamus.

2. ap. 9.

Ante pur-
gationem
quomodo
corpus pra-
parandum
Gal. ibid.

Notandum igitur, quæcunq; corpora purgare volumus, vt ea fluida faciamus. Nam si quis bilis flauæ feruorem & acredinem domuerit, & corporis crassos & lentos humores tenuarit secueritq;, atq; meatus, per quos humores medicamentorum purgantium vi traduci trahiq; debent, reserarit, ea demum fuerit longè

longè optima in omnibus purgatio: quibus neglectis, si subducendam aluum curaueris, ægrè molestèq; purgatio procedet, non sine ventris torsione, interdum & vertigine quadam, magnaq; corporis inquietudine, & pulsus deprauatione, interdum etiam corporis solutione & difficultate. Licet & assumtis pilulis aquam mulsam pauca quantitate bibere, si scilicet ventriculus alijs non scateat humoribus, aut in febribus ardentibus aquam hordei exiguæ quantitatis. Somnus quoq; ijs, qui calorem natiuum debilem habent, & per pilulas vel electuaria purgantur, concedi potest, vt per illum calor natiuus ab externis ad interiora membra reuocatus, augeri eoq; faciliùs pilularum latens purgandi vis, in actum deduci queat. Qui verò liquida hauserunt pharmaca, illisq; calor innatus robustus est, rectiùs à somno abstinent. Et ne æger nauisabundus medicamentum assumptum, vomitu reijciat, naribus eius admoueat panis tostus aceto simplici, vel rosato madens, fiatq; post pharmacum exhibitum oris per oxycratum ablutio.

Incipiente autem purgatione patiens à cibo & somno arcendus est, vsq; dum effectum purgans medicamentum compleuerit: ne fortè cibus medicamenti permistione corrumpatur, & per somnum purgationis opus impediatur. Nam teste Hip. cum sistere purgationem volumus, somnum conciliamus, nec corpus mouemus. Per somnum enim actiones animales feruntur, & quiescunt, tum quæ per sensuum fiunt instrumenta, tum quæ per musculos in motibus voluntarijs.

in purgatione quid agro obseruandum.

4. aph. 15.

Gal. ibid.

post pur-
gationem
qualis die-
ta conue-
niat.

Finita purgatione vtatur infirmus iusculis de-
tergentibus, quæ medicamento reliquias eluant, o-
mnemq; eius molestant qualitatem auferant; & paula-
tim ad cibos assuetos redeat. Nam virtus ventriculi ex
purgatione labefactata, non potest cibos in paulò ma-
iori copia assumptos concoquere, eosq; crudos & indi-
gestos venæ ad corporis exinaniti nutritionem auidè
attrahunt, atq; ita cacochymia sublata, alia fortè pe-
riculosior substituitur.

Tractatus de purgatione.

F I N I S.

Inter relegendum errata animaduersa sic
corrigo.

pag. 2. lin. 26. pro melionis lege melioris. pag. 3. lin. 1. pro Secun-
dum lege Secundum. pag. 6. lin. 9. pro quarunq; lege quacunq;
ibid. lin. 24. pro genua lege genus. pag. 7. lin. 7. pro nominem le-
ge neminem. pag. 9. lin. 27. pro acuratius lege accuratius. pag.
22. lin. 8. pro apti, sunt lege apti sunt, pag. 26. lin. 16. pro Mec-
rialis lege Mercurialis. pag. 27. lin. 28. pro iu lege in. pag. 30. lin.
25. pro syrurp. lege. syrup. pag. 32. lin. 15. pro rochis. lege trochis.
pag. 33. lin. 4. pro drachamarum lege drachmarum. pag. 34.
lin. 10. pro instituto lege instituo.

Candido

Candido Lectori.

S.

SCio equidem, Beneuole Lector, plures eximios viros
idem, quod ego, iam dudum tractasse argumentum. Ve-
rùm cum pleriq; in hac purgationis materia vel sint nimis
copiosi, vel eam, mira nouitatis & arrogantiae cupidita-
te ducti, tantis innoluant difficultatibus, vt se Tyro medicinae,
non sine magno temporis omnium rerum pretiosissimi dispendio, &
ingenti laborum mole, vix possit inde extricare, & artis nostrae
Principes Hip & Gal. sparsim eius meminerint: libuit ex his
flosculos tantum colligere, eosq; loca exactè in margine assignando,
& ipsa authorum, vel eorum interpretum verba retinendo, huic
nostro tractatui ordine concinno inserere, & refutatis falsis opi-
nionibus, quam verissima sit Hip. & Gal. de attractione purgan-
tium medicamentorum sententia, paucis ostendere. Nil moror ma-
leuolorum calumnias, qui quiduis facilius carpere, quam imitari,
aut facere solent. Sufficit mihi, bonis, & rectè iudicantibus la-
borem meum, non ostentationis, aut auræ popularis captandæ gra-
tiâ, sed solo benè de multis promerendi studio susceptum, & horta-
tu Virorum de me optimè meritorum typis publicis exscriptum,
probari. Te quoq; Lector sincere, obtestor, vt prius, quæ conscri-
psimus, diligenter legas, lecta perfectè cognoscas, ac demum de co-
gnitis candidè indices. Vale.

Candido Locost

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Candido



99 A 6903

(No. 24
nicht)

(25 Handschrift)

(9)

(No. ~~ausgegeben~~)

ULB Halle 3
 002 636 220


VD17

TA-OL





tione
 ATVS
VTVRO
 NECESSARIUS,
 E UTILIS:
 mente Hip. & Gal. de
 gitur; Verum etiam,
 MILIAREM SIBI
 TRAHANT,
 xcutitur:
 m, tam compositorum,
 usitata diligen-
 ntur,
 rea Modo,
 esque purgantis compo-
 li negotio inuesti-
 gi possit.
 e
R N C R E I L I O
 Morano.
 T A D I I
 cius, Anno 1595.
homino philippo fupio
Candidato, amico suo